



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. LXXI. De Aedificatione castri Kunninsberg vel Tuvvangste.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CHRONICI PRUSSIÆ.

Popo de Osterna VI. Mag. Gen. Ord. Teutonici.
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis in Prussia.

177

bach dictum, ædificia exstruerent, Magistrum hanc rem ad se deferentibus respondisse : *Löve nicht i. e. ich glaube nicht/ sive ich traue nicht i. e. non credo*, indè Löbenicum dictum esse. Henneb. pag. 237. Alias me audivisse memini, Löbenicht dictum fuisse prius Leivenayd i. e. chara virgo, uti Germani B. Virginem appellant, idque quoniam civitas hæc B. Virginis Mariæ, vel etiam S. Barbaræ Patronæ Prussiæ fuit dedicata. Et sane Löbnicense monasterium B. Virginis Mariæ, & Löbnicense templum, in monte situm, S. Barbara fuisse dedicatum, ibidem notum est in vulgus. Schuzitis à fluvio *Lebo* qui eo in loco in Pregelam se exonerat, (quem tamen hodie non reperias) vel à pago *Leben*, qui eo in loco situs erat, ubi est vetus oppidum Regiomontanum, Löbenicum dictum esse putat. lib. II. fol. 73. b.

CAP. LXXI.

De

Ædificatione castri Kunninsberg
vel Tuvvangste.

Post recessum Domini Regis de Bohemia, Magister & Fratres præparabant eâ successivè, quæ ad ædificationem fuerunt necessaria, & assumptis sibi fidelibus suis Pruthenis cum magno exercitu venerunt An. Dn. MCCLV. & in eo loco, qui nunc dicitur (a) castrum antiquum, ædificaverunt castrum Kunningsberg, vocantes illud ob reverentiam Regis de Bohemia castrum Regis. Apud Pruthenos dicitur Tuvvangste, à nomine Sylvæ, quæ fuit in dicto loco, relinquentes ibi Fratrem Burgardum de Hornhusen pro Commendatore, cum multis fratribus & armigeris (b). Postea translatum fuit hoc castrum ad eum locum, ubi nunc est situm in eodem monte, & duobus muris & IX. turribus lapideis est vallatum.

Z

ANI-

ANIMADVERSIONES.

- (a) Arx Regiomontana videtur fuisse condita eo in loco, ubi nunc Hortus est Serenissimi Electoris, ut putat Casp. Hennebergerus in *Chron.* pag. 168. probatqve id ex fossis illis præaltis, qvæ adhuc reperiuntur. Colligi idem potest ex Dusburgii nostri cap. CI.
- (b) Qyando illa translatio contigerit, non liqvet, nisi qvod suspicari licet, in Apostasia secunda fuisse à Sambitis priorem Arcem aut planè destructam, aut saltem oppugnatam, hinc Fratres commodiorem locum arci qværere coacti sunt.

C A P. LXXII.

Vastatione terræ Sambiacæ & ædificatione Castris VVilauv.

Eodem anno, quo Kuningsberg fuit ædificatum, Nadrovvitæ, Scalovvitæ & Sudovvitæ gentes vicinæ indignatae ex hoc, quod Sambiacæ se fidei & fratribus subdidissent, timebant enim, quod ipsi per eos deberent etiam fidei subjugari, sicut rei evenitus postea comprobavit. Unde coniugata magna exercitus sui potentia, terram Sambiacæ rapinâ & incendio transiverunt, captis hominibus pluribus & occisis, & dum recederent, placuit eis, ut castrum Wilovv ædificarent, ne improvisus & facilis aditus in terram Nadrovitæ pateret à modo fratribus & Sambitis. Unde ædificato castro prædicto relicisque ibi Tirskone & filio suo Maydelo cum multis armigeris, ad propria sunt reversi. Sed ecce mira DEI providentia in sui dispositione non fallitur: Ordinavit quod ea qæ Nadrovitæ sibi fecerant in præsidium, postea fuerunt eis facta in magnum laqueum & ruinam. Tetigerat enim DEUS dictorum Tirfconis Capitanei dicti castris & virorum